

seu servis commissum.—VI. Cæsis furtiva arborum.—VII. Rapina et damnum dolo malo in turba datum.—VIII. Rapina vel aliud damnum in rebus tempore incendii, ruinæ, naufragii vel navis expugnatae factum.—IX. Injuria et famosus libellus.—X. Extraordinaria crimina, quorum plura enumerantur *tit. ff. de extraordinar. criminib.*: ut sollicitatio alienarum nuptiarum, matrimoniorum interpellatio etc.—XI. Crimen sepulchri violati, concussionis, abigeatus, prævaricationis, receptationis latronum, furtum balnearium, crimen effractionis et expilationis, expilatæ hæreditatis, stellionatus, termini moti, collegii seu corporis illiciti: ita hæc delicta enumerantur *libr. 47. ff. à tit. 2. usque ad fin.*—Inter delicta publica numerantur:—I. Crimen læsæ majestatis, ex *L. Julia Maj.*—II. Adulterium, ex *L. Jul. de adulteriis coercentis.*—III. Vis publica, ex *L. Jul. de vi publ.*—IV. Vis privata, ex *L. Jul. de vi privata.*—V. Homicidium et veneficium, ex *L. Cornelia de Sicariis.*—VI. Parricidium, ex *L. Pompeja de parricidiis.*—VII. Crimen falsi, ex *L. Cornelia de falsis.*—VIII. Crimen repetundarum, ex *L. Julia repetundar.*—IX. Crimen fraudatæ annonæ publicæ, ex *L. Julia de annonæ.*—X. Crimen peculatus, sacrilegii, et de residuis, ex *L. Jul. peculatus.*—XI. Crimen ambitus, ex *L. Julia ambitus.*—XII. Plagium, ex *L. Fabia de plagiariis.* Habentur hæc omnia *lib. 48. ff. tit. 4. et seq.*, et enumerantur mixtim *lib. 9. C. per tot.* Ego suis locis in hoc libro ea inserere non omitam.

4.º De jur. Can. alia est partitio delictorum. Nam I. Agitur de delictis adversantibus religionis et fidei catholicæ, ut est simonia, hæresis, etc.—II. De delictis adversantibus justitiæ et proximo, uti est homicidium, adulterium etc.—III. De delictis propriis clericorum, uti sunt venatio, ministratio clerici excommunicati etc.—IV. De pœnis delictorum etc.—Vide Synopsim in Proleg. n. 31. His de generalitate delictorum præmissis, transeamus ad delicta in specie.

### TITULUS III.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR. \*

20. *Nota I.* Simoniam nomen traxisse à celebri Mago Simone, qui pecunia emere voluit Spiritum Sanctum (*Can. 8. Salvator. 1. q. 3.*): ipsum verò delictum emendi spiritualia pro temporalibus, etiam anterioribus temporibus commissum fuisse, constat ex *Gen. 25. v. 33.*, ubi legitur Esau primogenita, quibus annexum fuit sacerdotium, vendidisse fratri Jacobo, et *Num. 22.* ubi legitur Balaam prophetiam ven-

a.—Agitur de hac materia in Extrav. com. h. t.—In Decreto *causa prima* per tot. et *Can. 33. sancitum 7. q. 1.*, et *Can. pen. 15. q. 3.*—In Trid. sess. 21. c. 1. 9. de ref. 222. 22. in decr. de observ. et edit. circa miss. S. 24. c. 14. de ref.

didisse, et 4. *Reg. 5.*, ubi Giezi pretium accepit pro sanitate restituta Naaman Syro, etc. Quamvis autem simonia ex objecto suo non sit omnium delictorum gravissimum, tamen compilerator à simonia seriem delictorum inchoare voluit; quia ista est crimen maximè perniciosum, et à Sac. Canonibus vocatur turpissimum lucrum, vulnus canerosum, flagitium horribile nimis, comparandum blasphemiae Judæorum et peccato Judæ proditoris, labes et pestis tanta, ut sui gravitate et magnitudine alios morbos, ipsamque hæresim vincat (*Can. 14. cum ordenaretur 1. q. 1. Can. fin. 1. q. 7. etc.*)

*Nota II.* Simoniam quoad rem definiri: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum*: ita Com. cum S. D. 2. 2. q. 100. ar. 1. Dicitur:—1.º *Studiosa voluntas*, hoc est, actus deliberatus voluntatis, seu pactum.—2.º *Emendi aut vendendi*, quæ verba latè intelligenda sunt pro quovis contractu oneroso, quo res spiritualis datur pro temporali, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, contractus innominatus, do ut des etc. Et in tali pacto oneroso consistit forma simoniæ: materia verò illius est res spiritualis seu spirituali annexa tanquam merx, et res temporalis tanquam pretium.—Nec refert, quod in data definitione non exprimitur *temporale*; nam satis clarè intelligitur in verbo *emendi* aut *vendendi*. Et quamvis simonia completa afficiat duos contrahentes, committi tamen potest inchoativè ab uno, sicut accidit in simonia mentali: sic solus Simon Magus simoniam commisit volendo emere Spiritum Sanctum ab Apostolis.

*Nota III.* Simoniam non adversari fidei aut justitiæ, quia non continet errorem speculativum contra revelationem divinam, nec per se lædit jus alterius, licèt quandoque per accidens, hæresis vel injustitia misceatur simoniæ: ut si quis pertinaciter judicet licere spirituale vendere pro temporali; vel vendat spirituale, ex quo nullum temporale commodum emptor habeat: quo sensu simonia dici solet hæresis, hæretica pravitas, sacrilegium Judæ (*Can. 3. et seqq. 1. q. 1. et alibi passim*): unde in veriori sententia dicendum, simoniam per se adversari Religioni et esse peccatum ex genere suo gravissimum, contentum tanquam speciem sub genere sacrilegii. Nam sacrilegium est violatio rei sacræ; sed formalis malitia simoniæ consistit in violatione rei sacræ; tum quia res spiritualis, excedens omne pretium temporale, indignè tractatur, dum deprimitur et adæquatur temporale; tum quia Deo et rebus divinis gravis irreverentia infertur, dum res istæ, quas Deus voluit gratis dispensari, pretio et pecunia dispensantur, et ad commercia humana, longè inferiora, trahuntur; ergò. Quæ hic opponi possent, abundè solvuntur à S. D. *loc cit.*

*Nota IV.* Simoniam dividi:—1.º In *internam*, quæ in solo animo consummatur; et *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem.—Et hæc subdividitur in mentalem, conventionalem, et realem. *Mentalis* seu inchoata est, in qua datur temporale pro spirituali; attamen sine pacto expresso vel tacito, licèt dans mente et animo suo intendat alterum

obligare: ob quod simonia ista *mentalis* dicitur, non quasi mente retineatur, sed quod temporale ea mente detur, ut alter obligetur dare spirituale vel econtra. Hæc simonia *mentalis*, licet plerumque ab uno committatur, tamen inter duos fieri potest ex utraque parte, dum nullo pacto interveniente, unus dat rem spiritualem, et alter temporalem quasi ex justitia: v. g. Titius servit Episcopo ea intentione, ut pro mercede ab eo obtineat beneficium: vel Titius, vacante beneficio, offert patrono aut electoribus pretiosa munera, volens hoc modo ex justitia obligare illum vel istos ad faciendam sibi præsentationem vel electionem, etc. *Conventionalis* est, in qua intervenit pactum, seu conventio expressa aut tacita de dando spirituali pro temporali. Et quidem, si conventio ex neutra parte completa sit per traditionem, est simonia *purè conventionalis*: v. g. da mihi 100 aureos, et dabo tibi beneficium; si verò ex una parte completa sit per traditionem, est *mixta conventionalis*; quia aliquid ei admiscetur ex reali, v. g. do tibi beneficium, ut suo tempore mihi des centum aureos vel certam pensionem etc. *Realis* est, in qua pactum completur mutua traditione rei spiritualis et temporalis, sive totum pretium semel tradatur, sive pars illius; ut si unus det beneficium et alter centum aureos, vel interim quinquaginta.—2.<sup>o</sup> Dividitur simonia in *eam, quæ est juris naturalis* seu propriè dicta, dum temporale datur pro spirituali; et *eam, quæ est juris Ecclesiastici* seu impropiè talis, dum contra prohibitionem Ecclesiæ datur spirituale pro spirituali: ut in permutatione beneficii pro beneficio, vel quandoque temporale pro temporali; ut si quis emat officium thesaurarii, vel œconomi etc. Hæc divisio, quidquid aliqui dicant, sustinenda est in jure: nam simonia juris naturalis indicatur toto *h. t. et causa l. per tot.*; simoniæ verò juris Ecclesiastici fit mentio *c. 5. 7. de rer. permutat.*, et generaliter *c. fin. de pact.*, ubi prohibetur omnis pactio super spiritualibus. De simonia confidendi dicam infra §. 4.

His prænotatis, agendum hic erit:—I. De pacto simoniaco, ut forma.—II. De re temporali, ut pretio.—III. De re spirituali, ut merce: quæ duo sunt materia simoniæ; licet quandoque spirituale detur ut pretium pro temporali, ut merce.—IV. De pœnis simoniacorum.

### §. I.

#### De Pacto Simoniaco.

21. Q. I. *An pactum fictum sine intentione dandi temporale pro spirituali, constituat actum simoniacum?*

R. Negative; nam simonia, ut pactum est, requirit consensum internum per *l. l. §. 3. de pactis*: ut verò est pactum simoniacum, requirit studiosam voluntatem emendi et vendendi spirituale, quorum neutrum est in fictè paciscente; ergò nec est simonia tali casu; bene

verò sacrilegum et scandalosum mendacium, quo alter inducitur ad peccatum simoniæ, vel fictè paciscens eidem cooperatur. Hæc de foro interno: at in foro externo præsumitur simoniacus qui opus externum simoniacum posuit; quia hoc præsumitur, concordare cum actu interno, sicut accidit in aliis contractibus fide initis.

*Dices*: Facta promissio pecuniæ, v. g. pro beneficio, operatur tantum, quantum vera promissio; imò res fictè promissa, est verum pretium, licet actu non numeretur; ergò.

R. *D. A.* Operatur modo et vitio simoniaco, *N. A.* Modo et vitio mendacii sacrilegi, *C. A.* Res seu pecunia promissa non est pretium, nisi ut determinatur à studiosa voluntate emendi et vendendi spirituale; quæ tamen voluntas non est in fictè paciscente.

22. Q. II. *Quæ pacta habeantur pro simoniacis?*

R. 1.<sup>o</sup> Pacta expressa, quibus datur, vel promittitur temporale pro spirituali, sunt manifestè simoniaca: ut si detur pecunia pro donis Spiritus Sancti, pro collatione Ordinum, pro electione, nominatione et præsentatione ad beneficium, pro ipso ingressu ad novitatum, vel religionem, pro ipsis sacris Reliquiis etc. Ità passim docent SS. Patres et Sac. Canones toto *h. t. et tota causa l. per 7. qq.* Quia verò docta iniquitas et cupiditas execrabilis habendi, vim effugere non potuit Sac. Canonum, varios modos excogitavit, quibus turpitudine simoniæ tegetur; sed palliola ista facilè remonentur.

2.<sup>o</sup> Dare temporale pro spirituali, non ut pretium, sed ut motivum, conferendi spirituale, vel ut spirituale conferatur ex compensatione gratuita, est simoniacum: ità hodie certa sententia, cujus contrariam damnavit Innoc. XI. propos. 45. his verbis: *Dare temporale pro spirituali non est simoniacum, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.*—Prob. 1.<sup>a</sup> pars ex *c. 34 h. t.*, ubi receptio clerici in Canonicum, dicitur esse simoniaca, si ille bona sua obtulit pro præbenda sua cum conditione, si illum reciperent in Canonicum: quæ datio bonorum expressè non habet rationem pretii, sed motivi. Ratio est, quia in tali actu est palliatum pactum simoniacum; nam qui, v. g. vacante beneficio, dat pecuniam, ut collatorem moveat ad conferendum sibi beneficium, non alia intentione dat, quàm ut efficaciter moveat, seu ex justitia obliget ad conferendum beneficium: quod reipsà nihil est aliud quàm emere collationem beneficii; ergò. Jam si alter cognoscit intentionem dantis, eique consentit, est simonia ex utraque parte; si verò non cognoscit neque consentit, est simonia tantum ex parte dantis. Prob. 2.<sup>a</sup> pars. Compensatio gratuita seu obligatio antidotalis, qua cliens obligatur benefactori, si deducatur in obligationem determinatam, v. g. ut detur spirituale pro temporali, vel econtra, non manet intra genus gratitudinis, sed alteratur et transit ad genus justitiæ: quia alter, qui ex gratitudine non tenebatur conferre spirituale, sed alio modo per preces vel obsequia indeterminatè gratus esse potuit suo

benefactori, jam determinatè obligatur ad conferendum spirituale; ergò obligatio ista et compensatio est verè simoniaca, licèt nomine et pallio gratitudinis veletur. Tum quia hæc duo: *do tibi centum, ut mihi des beneficium*, et *do tibi centum, ut mihi gratus sis per collationem beneficii*, reipsà eundem contractum efficiunt, solo nomine et lusione in vocibus excepta; ergò sicut prior actus est simoniacus, ità et posterior. *Constr.* ab absurdo, quia ex opposita sententia sequitur facilè eludi posse omnia jura simoniam prohibentia; nam quisque dicere posset, quòd temporale non det, ut pretium, sed ut efficax motivum, neque velit alterum obligare ex justitia, sive tantum ex gratitudine determinare, quod est ludere in re tam gravi; ergò.

*Dices:* Quod jure naturali inest actui, deduci potest in pactum; sed obligatio antidotalis, seu compensatio gratuita jure naturali inest actui liberalitatis et beneficentiae; ergò.

R. *D. M.* Si tali pacto non alteretur natura obligationis, *C. M.* Si alteretur, sicut in nostro casu, *N. M.* Nam obligatio antidotalis est indeterminata et arbitraria, ut hoc vel illo modo gratitudo exhibeatur; ergò si obligatio ista determinetur ad unum, contra naturam suam alteratur, et transit in obligationem necessariam justitiæ, et consequenter est simoniaca. Cetera rationes ex his et ex dicendis solvuntur.

3.<sup>o</sup> Dare vel facere spirituale ex principali motivo, seu fine acquirendi temporale, est simoniacum: ita certa sententia et oppositam damnavit Inn. XI prop. 46: *Et id quoque locum habet*, putà quod non sit simoniacum, *etiamsi temporale sit motivum principale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quàm res spiritalis*; quia dans vel faciens spirituale principaliter propter temporale, censetur dare vel vendere spirituale pro temporali, tanquam pretio, quod est omninò simoniacum; cùm res spiritalis vilipendatur et minùs aestimetur, quàm temporali. Exempla habes in Canonico, qui vadit ad Ecclesiam, et psallit propter distributiones, ut finem principaliter intentum (S. D. *quodl.* 8. ar. 1.); in Clerico, qui suscipit beneficium primariò propter fructus temporales; in dicente missam primariò propter stipendium etc.: hi enim et similes ex hac inordinata intentione simoniam committunt. At contrà, si actus isti spiritalis exerceantur principaliter propter finem suum intrinsecum, scilicet honorem Dei et salutem animarum, nulla simonia erit secundariò intendere commodum temporale annexum talibus functionibus; qualiter operari, quilibet in dubio præsumendus est.

4.<sup>o</sup> Emere preces, commendationes vel operam à tertio, ut is apud patronum vel collatorem persuadeat collationem beneficii, est simoniaca: ità com. ex *Canon.* 207. *statuimus* l. q. 1., ubi Nicolaus II. tres ponit species simoniæ: dum *simoniaci à simoniacis*, et *simoniaci à non simoniacis*, et *non simoniaci à simoniacis* ordinantur. Sed secunda species hujus simoniæ non potest intelligi meliùs, nisi in casu, quo pecunia, seu aliud quid temporale datur, non ipsi Episcopo, sed alicui tertio, ut is per suas preces vel operam impetret ab Episcopo collationem

ordinis aut beneficii; ergò. Idem habetur *Can. fin.* l. q. 5., ubi Urbanus II. dispensat cum eo, pro cujus ordinatione pecunia data fuit, non Episcopo, sed alicui ex suis familiaribus. Ratio est, quia emens causam, virtualiter emit effectum; sed preces et commendationes sunt causa obtenti beneficii; ergò qui illas emit, ipsum beneficium emere censetur. Et hoc vitium est valdè subtile, quia fœminæ, familiares, ministri et officiales patronorum et collatorum facilè pecunia corrumpuntur, seque ad beneficia per interponendas commendationes impetranda simoniacè obligant.

*Dices* I: Preces istæ sunt quid temporale pretio aestimabile; imò sæpiùs est labor in adeundo patrono; ergò emi possunt licitè.—II. Ministris patroni dari aliquid solet pro impetranda audientia, vel pro informatione de qualitatibus et meritis personæ.—III. Cajus potest aliquid accipere à Titio rogante, ut ille det mutuuum Stichò, dummodò ab hoc nihil petatur supra sortem; ergò à pari.

R. *Ad I. D. A.* Preces secundum se, *C. A.* Secundum connexionem et influxum moralem respectu effectus spiritalis, *N. A.* Pro labore, qui subitur in aditu patroni, vel reditu, si notabilis est, potest aliquid accipi, cùm labor iste sit extrinsecus precibus, neque per se influat in collationem beneficii; licèt consultius sit jam beneficio obtento, aliquid ex gratitudine offerre intercessori; Reiff. etc.—*Ad II.* Impetratio audientiæ non influit in collationem beneficii, uti nec simplex relatio meritorum, quæ purè applicat merita, quibus patronus movetur ad dandam præsentationem. In praxi tamen relatio ista meritorum pecuniis empta, vix fieri potest sine labe simoniæ.—*Ad III. N. A.* Quia modicus, quo reipsà aliquid ultra sortem accipitur à tertio, omnem usuram excusare posset, si semel esset licitus, quod tamen est contra reg. 84. in 6.

5.<sup>o</sup> Conventio, qua duo beneficiati sine consensu Superioris permittunt inter se beneficia, est simonia simplex juris communis Ecclesiastici; nam hoc jure prohibetur (*cap* 5. et 7. *de rer. permutat.*), quasi continens labem simoniæ, putà impropriè talis: at non est simonia juris naturalis, quia non datur temporale, sed spirituale pro spiritali, nisi permutationi pecunia intermiseretur.

6.<sup>o</sup> Conventio, qua quis alteri procurat beneficium cum pacto expresso vel tacito, ut beneficium istud ad se vel ad tertium revertatur, est *simonia qualificata juris Ecclesiastici*, seu *confidentialis*: ità dicta quod unus, seu dans constituat fiduciam in altero, in quem beneficium transfert, quod idem beneficium ad se vel ad tertium revertetur. Damnatur hæc simonia à Pio IV. Const. *Romanum* 7. Kal. Nov. 1564., à S. Pio V. Const. *Intolerabilis* Kal. Jun. 1569. Species seu modi, quibus committitur, præcipui sunt tres: collatio seu resignatio beneficii *cum reservatione accessus*, ut beneficium restituatur alteri, qui nunc ob defectum ætatis non est capax illud obtinendi; *cum reservatione ingressus*, ut beneficium restituatur illi, qui illud obtentum et nondum possessum in favorem alterius resignavit; *cum reservatione*

*regressus*, ut mortuo beneficiario, vel alio modo per renuntiationem aut professionem religiosam, idem beneficium revertatur ad priorem possessorem: v. g. Titius Canonicus Canonicatum suum resignavit in favorem Caji nepotis; eo tamen pacto, ut si Caju citius moreretur, vel alio modo dimitteret Canonicatum, Titius ad eundem regredi posset. Vide dicta *lib. 1. tit. 9. num. 111. et. 115.*

Dicitur autem hæc simonia *juris Ecclesiastici*, et non *naturalis*, quia in illa non datur temporale, sed spirituale pro spirituali; si verò fieret cum datione seu *reservatione pensionis temporalis*, esset omnino vera simonia juris naturalis, ut de se patet. Dicitur *qualificata*, quia fit cum speciali qualitate et pacto mox insinuato: et insuper specialem habet qualitatem pönarum §. 4. referendarum. Porrò dum Const. Pia-na dicit, eam committi *sola intentione* dimittentis beneficium, id non intelligitur de intentione in mente retenta, sed de intentione externa, seu voluntate et pacto saltèm tacito alterum obligandi ad restitutionem ejusdem beneficii.

7.º Conventio pretio facta, ut alter omittat actum spiritualem, est simonia, et omissio talis est simoniaca: ut si quis pecunia corruptus omitteret aliquem absolvere, vel eum ordinare, vel jurisdictionem spiritualem concedere etc.: ità *cap. 14. h. t.*, ubi simoniacus dicitur, qui xenium temporale à peccatore accipit, *ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet*: nam juxta *l. 121. ff. de R. J.*, *Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit*, et consequenter non faciendo, facit simoniam. Ad hæc reduci possunt cetera omnia pacta simoniaca.

23. Q. III. *Quæ pacta sint libera à labe simoniæ, et qui actus non reputentur simoniaci?*

R. 1.º Pactum, quod facit Clericus ante susceptionem sacri ministerii super congrua sustentatione aut stipendio, non est simoniacum: ità com. Nam pactum super eo, quod ex justitia debetur, est licitum ut scilicet quantitas, si non est lege aut consuetudine determinata, pacto determinetur; sed congrua sustentatio aut stipendium jure naturali debetur Clerico ministranti spiritualia; quia dignus est operarius mercede sua, *Matt. 10. v. 10*; ergò. Illa autem determinatio mercedis non est commensuranda operi spirituali, sed conditioni personæ congruenter sustentandæ. Ab his tamen pactis abesse debet turpitudine et avaritia: secùs non carebunt affectu simoniaco: quo sensu intelliguntur *Can. 2. et seqq. l. q. 2. et cap. 36, 41. hoc tit.*

2.º Pactum quod prælatus facit cum professuro vel parentibus ejus, ut aliquid detur titulo donationis propter nuptias, vel titulo dotis, item titulo legitimæ, etsi monasterium sit inops, titulo sustentationis, non est per se simoniacum: ità com. ex ratione generali, quia, stantibus his titulis, temporale datur pro temporali, non pro spirituali, seu pro ipso ingressu religionis.—*Prob. specialiter l. 1.ª pars ex speciali indulto Innoc. VIII. quo Pont. iste concedit Monialibus, ut ab ingressuris dotem congruam petere possint; nam in matrimonio carnali licetè petitur*

dos et donatio propter nuptias, sive sponsi sint divites, sive pauperes (*l. 19. ff. de rit. nupt. l. 7. C. de dotis promiss.*); ergò etiam in matrimonio spirituali, quod anima per professionem religiosam init cum Christo, licetè petitur dos vel donatio propter nuptias, cum à matrimonio carnali benè ducatur argumentum ad spirituale (*c. 2. et fin. de translat.*)—*Prob. 2.ª pars.* Dum aliquid petitur titulo legitimæ seu juris ad legitimam, petitur temporale pro temporali; ergò nulla est simonia. Nec obstat *l. 5. ff. de acq. hæred.*; nam licet liberis non debeatnr legitima ante mortem parentum, tamen jus radiciale ad eam debetur, et hoc jus devolvitur ad religionem; ergò, cum religio non teneatur hoc jus gratis remittere, poterit super eo pacisci et transigere, ità ut deinde nullum jus habeat ad portionem hæreditariam.—*Prob. 3.ª pars arg. Trid. S. 25. c. 16. de Regul.*, ubi permittitur religioni aliquid petere et accipere pro victu et vestitu novitii; ergò etiam si monasterium sit inops, aliquid exigi potest pro victu et vestitu professi, cum ità temporale detur pro sustentatione temporali; ità docet *S. D. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* At si monasterium sit dives, ab ingressuro nihil peti potest titulo sustentationis; quia tunc non est necessaria sustentatio, sed fingitur prætextus paupertatis et sustentationis: quo sensu procedit *c. 40. h. t.* Imò in tali casu committi simoniam juris naturalis, fusè probat Reiff.; verius tamen videtur oppositum, quod solum sit simonia juris Ecclesiastici; quia reverà in tali casu adhuc temporale datur pro temporali, scil. pro sustentatione, ità ut redditus monasterii in alium usum bonum applicari possint. Sic etiam parochus dives exigere potest redditus stolæ, licet sine his congruam habeat sustentationem.

*Obj. I.* Jus commune prohibendo aliquid exigi vel accipi pro ingressu Religionis, prohibet omnem titulum accipiendi, et oppositum damnat simoniacæ pravitatis, ut patet ex *Can. 2. et seq. l. q. 2. et cap. 8. 19. 5. 30. 40. h. t.*, ubi generaliter prohibetur aliquid ex pacto accipi à professuro, etiam pro victu, sub titulo aut prætextu paupertatis. Idem repetitur *Extrav. 1. h. t. int. com.* Hodie titulus sustentationis allegari non potest; quia, ut inquit Van-Espen, tot solum suscipi possunt, quot commodè ali ex proventibus monasterii juxta Decret. Clemen. VIII. incip. *Nullus omnino*, conformiter Trident. *Sess. 5. cap. 3. de Regul.*

R. *Ad I.* Jure communi prohiberi, ne quid ex pacto in monasteriis opulenti accipiatur pro pastu et sustentatione, et jure naturali prohiberi, ne quid ex pacto pro ipso ingressu recipiatur: priori modo fit simonia saltèm juris Ecclesiastici; posteriori modo juris naturalis: nulla autem simonia erit, si quid monasterium pauper exigat ad sustentandum religiosum: ità communis horum jurium interpretatio circumfertur et fundatur in *S. Th. loc. cit.* Licet autem doctrina *S. Th.* vera sit, non tamen puto illam debite applicari ad citata jura interpretanda, quæ generaliter excludunt omne pactum circa temporalia, et solam gratuitam oblationem permittunt; *c. 30. h. t.*, ubi in fine subditur: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sive taxatione*

*gratis oblatum.* Existimo igitur jure antiquo ob justas causas statutum fuisse, ut absolutè nihil ex pacto, quocumque titulo quæsito, exigi vel recipi posset ab ingressuris religionem; sicut clerici nihil recipere poterant ratione baptismi, sepulturæ et aliarum functionum spiritualium (*c. 9. h. t.*), quia temporibus illis expediebat, imò necessarium erat clericos et religiosos ab omni temporalium cupiditate alienos esse. Sed mutatis temporibus, jura ista, partim constitutionibus et declarationibus pontificiis, partim generali consuetudine et opinione fidelium relaxata sunt, ut hodie liceat et clericis redditus stolæ, et religiosi temporalia exigere, dummodò pro ipsis functionibus spiritualibus, vel pro ipso ingressu monasterii, quod jus naturale vetat, nihil ex pacto exigatur.—*Ad II.* Pecunia titulo dotis, vel legitimæ, vel sustentationis data, habet rationem vel eleemosynæ, vel obventionis in commune conferendæ; adeòque non excluditur, sed comprehenditur in cit. decreto. Hic tamen attendendum est, ne dos vel sustentatio indiscriminatim petatur; secus multis pauperibus magis idoneis præcluderetur via ad statum religiosum; item ne inhabilis suscipiatur propter pecuniam, quia tunc pecunia esset finis principalis et susceptio simoniaca.

3.<sup>o</sup> Pensiones, quas clerici divites à fidelibus exigunt rationem ministeriorum spiritualium, ut funerum, copulationum, baptismatum etc. non sunt simoniacæ; nam *c. 42. h. t.* et Trident. *Sess. 24. c. 14. de reform.* approbantur et servari præcipiuntur consuetudines piæ et laudabiles in receptione sacramentorum, aliorumque spiritualium administratione fieri solitæ; sed solvere funeralia, baptismalia, et alia hujusmodi pertinet ad pias et laudabiles consuetudines; ergò.

Ratio est, quia pensiones istæ non exiguntur, ut pretium pro ipso sacro ministerio, sed alio titulo per consuetudinem approbato. Et quidem, clerici pauperes exigunt pensiones istas titulo sustentationis et stipendii: clerici verò divites titulo oblationum ex consuetudine debitarum, et titulo decimarum personalium; in quarum locum videntur successisse illæ pensiones, quæ etiam, si clerico diviti dentur, habent rationem justii stipendii, ut ille ex temporalibus eorum vivat, quibus ministrat spiritualia. Favet huic sententiæ S. D. *quodlib. 6. a. 10. et 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4.* Excipe:—I. Si clericus ex justitia tenetur certum ministerium præstare, pro eo non potest pecuniam accipere: sicut parochus, quia saltè dominicis et festivis diebus tenetur pro ovibus suis missam offerre, non potest aliud stipendium pro eadem missa accipere citra justitiam et simoniam.—II. Si exactio sit violenta, immoderata, excedens summam lege aut consuetudine taxatam, vel si fiat cum protestatione non faciendi spirituale, nisi numeretur pecunia, vel pignora, aut fidejussores dentur: tunc enim exactio non careret vitio simoniæ; quia tunc ministerium spirituale præstaretur propter pecuniam, ut finem principalem (S. D. *loc. cit. a. 3. in corp.*) Ex his explicantur *Can. 1. et seqq. 1. q. 2. Can. 8. d. 18. et Can. 100. nullus 1. q. 1. et c. 8. 9. h. t.*

*Dices:* pensiones istæ exigi non possunt pro ministerio, ut spirituale est, neque pro ministerio, ut quidam labor corporeus est, v. g. concionando, baptizando, funus comitando etc. Nam labor iste est intrinsecus et inseparabilis à sacro ministerio; ergò si quid exigatur, est simonia juris naturalis.

R. *C. A. et N. C.* Nam adsunt tituli alii, ut labor extrinsecus, et obligatio adeundi certum locum, expectandi horam et nutum alterius, neglectio proprii negotii, aliique tituli antè relati.

4.<sup>o</sup> Conventio conditionalis, qua aliquid datur vel legatur sub conditione aut modo, ut quid ponatur spirituale, non est simoniaca: ità com. praxis à sac. Canonibus approbata (*c. fin. de testam. cap. 1. de restit. spoliat. Clem. 2. de sepultur. etc.*) Nam id quod datur vel promittitur sub conditione, non est absolutè obligatorium, sed præcisè incitat et invitatur ad faciendum spirituale, quo posito, temporale datur ex mera liberalitate aut gratitudine; ergò nihil simoniæ continet. Unde citra simoniam potest:—I. Testator relinquere certam summam, ut pro se anniversarium celebretur, vel altare aut Ecclesia ædificetur.—II. Princeps vel alius promittere officium vel relaxationem pœnæ infideli, si ad fidem conversus fuerit.—III. Parentes promittere liberis munuscula, si missam audierint, vel communionem perceperint.—IV. Benefactor offerre pauperibus pecuniam, si litanias vel alias preces recitaverint, etc.; hoc enim modo non emuntur spiritualia, sed tantum incitantur et provocantur animi per gratuitam beneficentiam, ut gratis spiritualia præstentur (S. D. *l. c. a. 3. ad 2.*)

*Dices:*—I. Illicitum est statutum in aliqua Ecclesia, ut non fiat alicui processio funebris, nisi solvat certam pecuniam; ergò conventiones istæ conditionales sunt simoniacæ.—II. Bonifac. Papa *Can. 2. quam pio 1. q. 2.* ait: *Nunquam legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris intercentu provocasse.*

R. *Ad I. C. A. et N. C.* Nam per simile statutum principaliter intenditur pecunia, et præcluditur via gratis exhibendi alicui officium pietatis, quod illicitum est; econtra in conventionione conditionali incitativa ad opus spirituale, non præcluditur via gratis faciendi spiritualia, sed solum ad ea faciendâ animi per munificentiam provocantur. Unde licitum esset statutum: *quicumque certam summam deposuerit, ei fiat processio funebris;* quia per hoc statutum non prohibetur gratis fieri opus pietatis, sed pecunia per modum invitationis prærequiritur.—*Ad II.* Apostolis conveniebat, non per munera, sed per prædicationem et miracula invitare ad fidem; ex quo tamen non sequitur, quòd provocatio per gratuita munera sit illicita. Secus esset, si per munera imponeretur absoluta obligatio faciendi spiritualia: ut si quis per pecuniam absolutè obligaretur ad ingressum monasterii; tunc enim ingressus iste pecunia emeretur.

5.<sup>o</sup> Donatio gratuita absque voluntate alterum obligandi ex justitia ad dandum spirituale, per se non est simoniaca, licet fiat sub spe